ORATIO IN LAUDEM FAMILIAE FOSCARAE ODE ET ELEGIA OMNIBONI LEONICENI

Ognibene Bonisoli

ORATIO

IN LAUDEM

FAMILIÆ FOSCARÆ

Ode et Elegia

OMNIBONI LEONICENI.



LEONICI
TYPIS JOHANNIS GASPARI
1855.

PETRO LAGHETTO

ECCLESIÆ ARCHIPRESBYTERALIS COLLEGIATÆ
LEONICENÆ

PROCURATIONEM SUSCIPIENTI.

Felix hic dies, quo Tu pietate prudentia et doctrina excellens accedis ad nos archipresbyteri munus adgressurus, profecto aliquam lætitiæ et obsequii nostri publicam significationem flagitat. Admodum enim dedeceret, nos Tibi advenienti non occurrere et gratulari, nos præsertim, qui Sacrorum officiorum vinculo tecum maxime conjungimur. Quamobrem ex codice manu scripto celeberrimi Omniboni Leoniceni veteris civis nostri latinam orationem et alia selegimus, quæ typis edita Tibi libenti animo sistimus. Excipe benigniter hoc qualecumque argumentum observantiæ, qua Te prosequuntur ii, qui Tibi omnia fausta et prospera ominantur.

XVI. Kal. Januar. MDCCCLV.

SACERDOTES LEONICENI.

(*) OMNIBONI LEONICENI

ORATIO

IN LAUDEM REVERENDI

DOMINI PETRI FOSCARI

Protonotarii et Primicerii S. Marci.

Non mea me facultas, Reverendissime Antistes, magnifice Praetor, insignis Praefecte praestantissimique viri, sed expectatio vestra, quod admirari quisquam possit, adhortata est, ut in tanto talium virorum conspectu verba facere vellem. Quarum alteram ego non ignoro quam sit exigua, alteram vos, quam magna sit quamque singularis, facile ostenditis, qui me in amplissimo hoc ad dicendum loco tam frequentes audituri convenistis. Videbam enim quantum oneris mihi sustinendum esset, quamque difficili in re elaborandum, cum hujus viri ornamenta, quae pro amplitudine sua magni et exculti oratoris ingenium deposcerent, ea ego tenui hac et incondita oratione laudanda susciperem. Sed mihi apud animum meum proponenti quae studia vestra, quae voluntates, qui consensus foret, quamque honestissimus hic dies civitati futurus esset, quem publice propemodum populus omnis concelebrandum tantopere expectasset, non potui mihi non persuadere meam hanc

dicendi sedulitatem acceptam vobis minimeque injucundam fore. Cum igitur perspicerem hic omnia mihi quasi in litterarum domicilio peragenda esse, ubi consedissent viri non eruditi sed docti, non docti sed periti et bonarum artium scientia praestantes; movebar equidem tantorum virorum praesentia; sed me rursus consolabatur cum in mentem veniret eos omnes affuturos esse, non ut ea cognoscerent, quorum tanta est magnitudo tantaque claritas, ut obscura esse non possint, sed quod hujus virtutibus faverent: quem cum antea semper, tum vero hodierna die potissimum omni cultu et observantia dignissimum esse judicarent. Nam mihi illud quoque primum in re fuit atque praecipuum, ut ipsi Protonotario mos gereretur observantissimo viro, quem pro sua in me benevolentia et humanitate tanti facio, ut quidquid ille velit, mihi quodammodo necesse sit. Huc accedebat quod illustrissimus Dux ille Franciscus Foscarus, nepotis tanti patruus, prae caeteris imperii civitatibus et populis Vicentinos praecipua quadam comitate et singulari indulgentia complectitur; ut et ego patriam meam pro virili parte gratam et memorem ostendere debeam. Et quoniam ingenii mei mediocritatem tantarum rerum magnitudo penitus vincit, consilium fuit apud omnes testatam animi voluntatem relinquere. Nam ubi gratiam debeas, si minus parem reddere possis, at quantam potes reddidisse laude non careat. Quae cum ita sint, pauca mihi pro officio et consuetudine dicenda esse constitui de hujus viri patria, de gente, de virtutibus ejus. Nam si omnia plane prosequi velim, nec mihi dicere, nec vobis audire vacabit. Nihil enim horum est, quod non suum tempus, suum locum, suam orationem postulet.

Et patria quidem ejusmodi est, ut in ea quid primum laudes quidve secundum, non facile discernas. Situm ipsum urbis, quem mirari potius, quam satis digne laudare possis,

jactas fluctibus moles et mare stratum areamque factam adeo firmam, ut tantae urbis moenia sustineat, munitas arces, praecelsas aedes pubblicas atque privatas, templa Deorum, et e mediis undis tecta surgentia vix ipsis, qui ea videre, credenda, quae poetarum quispiam non absurde dixerit *manibus fabricata Cyclopum*. Tantum tamen nec laboris frustra susceptum, nec impensae temere factum, sed commoditatis rationem habitam esse non minimam; urbem poni mari contiguam ad excipiendas omnes omnium generum merces, quae toto orbe vehuntur; nec tamen exponi ad subeunda classium externarum regionum subita pericula, cum interea illuc undique opportuna flumina descendant, quibus fruges e Mediterraneis locis multiplices comportantur. Hinc illud fieri dictu mirabile, ut in qua urbe nihil ferme gignitur, in ea rerum omnium copia exuberet; quia et necessariarum rerum praesidia saepe a Venetiis continens, nunquam a continenti Venetiae quaesiverunt. Quid navalia dicam, et in navalibus immensam numerosamque classem, corpora ipsa navium ampliora fide? Turritas puppes et aequata carchesia Coelo, quae cum videas mirari tum denique desinas, quod poeta noster cecinit: *Pelago credas innare revulsas Cycladas, et montes concurrere montibus altos*. Hanc urbis magnificentiam imperator Henricus situmque ejus et regionem admiratus, non immerito regnum appellari maluit, quam videlicet civitatem unam opulentissimorum regum potentiam habere judicavit. Sed rem Venetam caeteris omnibus excellere argumento est, quod opibus ejus nulla cujusquam vis resistere potest; quod cum saepe alias, tum vero novissime cognitum fuit. Nam, qui tamdiu in imperio steterint, nec civitatem invenios, nec populum. Lacaedemonios et Athenienses aliquandiu rerum potitos fuisse legimus. Nam longissime Romani omnium, quos unquam audivimus, imperavere; sed tamen nec illi

sexcentesimum annum, nec hi octingentesimum implere potuerunt; cum interim Optimates nostri annum jam prope millesimum feliciter imperaverint. In quo maximam sibi partem vindicat principum sanctitas atque modestia, quae facit, ut ipsis ea, quae modo dixi, propria sint atque perpetua. Per hanc respublica consilio melius ac ratione fundata; per hanc imperii fines longe lateque porrecti; per hanc una omnium excellentissima virtus justitia inviolata; per hanc denique id, quod est in tam corruptis ac perditis moribus miraculo proximum, fit illius a Platone civitatis exemplar editum, quam philosophus ille beatissimam ac sempiternam fore pollicetur. Nam imperium his artibus posteri tenent, qnibus ab initio majores pepererunt. Sic enim animum induxerunt, rem commodiorem et utiliorem esse pacem quam bellum, jus quam injuriam, sui curam qnam alieni cupidinem.

Itaque Optimatum nostrorum illud est proprium et singulare praeconium, quod nunquam, nisi lacessiti, arma sumpserunt: quippe qui exercitum habere voluerunt, non ut civitates et populos subigerent, sed quieti et otio consulerent; non ut aliena invaderent, sed invadentes propellerent; non ut vim facerent, sed facientes impune non ferrent. Sic Heraclea urbs aemula quondam imperii funditus deleta est; sic Saraceni Anconae urbis diruptae atque crematae spoliis exultantes fusi fugatique sunt; sic Liburniae Dalmatiaeque urbes imperio accessere; sic Motonium, sic Constantinopolis, altera prope Roma, parere coacta est; sic Patavium sic Verona amplissimae atque potentissimae urbes in deditionem venerunt; nam Vincentia constantis fidei civitas ultro se in potestatem senatus dedidit. Sed quid ego propositi mei pene immemor, quid in hac temporis angustia tam inclitae urbis et in urbe tantorum civium laudes dicere ingrediar? Reprimam igitur ipse me, et ad Fe-

scaram praedicandam domum, quod secundo loco facere instituteram, omnes orationis meae vires intendam; non eam quidem ut dignis laudibus exornem, neque enim id tam brevibus spatiis consequi possem, sed ne in tanti nepotis tam celebri die progenitorum, quibus hoc virtutis incrementum debetur, commemorationem parum diligentes, ne dicam ingrati, praeteriisse videamur. Et ne altius familiae hujus primordia repetam, JOANNES FOSCARUS primus occurrit, quo nemo in republica, ne illi quidem qui habebantur amplissimi dignitate, auctoritate, opibus, gratia superiores fuerunt. Hunc Noventae et Petiani Comarchum vel, ut nostri dicunt, Comitem fuisse accepimus, divitiis praepotentem, quantum in ea quisquam aetate esse potuit. Magistratus omnes urbanos pariter et peregrinos non minori integritate quam prudentia administravit. Huic filius fuit Nicolaus patri nequaquam dissimilis, vir splendore vitae et liberalitate naturae clarissimus, *dives equum dives pictai vestis et auri*, quem celebri nuptiarum die Scaliger ille Canis Veronae princeps equestri dignitate donavit. Et tantae illius magnificentiae res abunde suppeditabat a patre tradita. Nullos unquam a republica desideravit honores, quin et ultro delatos multoties renuit, qui non id operam daret ut patria sibi, sed ipse patriae honorificus videretur. Hic Ioannes secundum genuit, quem virum, bone Deus, quanta prudentia praeditum! praeturam Tarvisinam adolescens admodum gessit, magistratum, ut tunc res erant, minime contemnendum, amplissimos civitatis honores adeptus est. Belli pacisque magnus interpres; Iadertinos, qui a republica defecerant, tanta celeritate recepit, ut ea civitas in officio prius pene fuerit, quam illuc eum pervenisse crederetur. Qua in re summa illi potestas a senatu permissa est, quod nemini unquam alias contigit, ut in eam sententiam senatus consultum fieret, senatum quidquid ille statuis-

set, approbaturum esse: id scilicet quod apud Romanos extremae semper necessitatis fuit, ut viderent consules ne quid detrimenti respublica caperet. Nam in consulendo quam promptus ingenio fuerit ex eo facile dijudices, quod sola prudentiae et acuminis opinione, quam de illo viro civitas habebat, patres deterriti sunt quominus eum Ducem eligerent.

Tres filios suscepit, omnes spectatae virtutis, e quibus Paulus praestanti forma, sed ingenio praestantiore adolescens, cum se ab ineunte aetate litteris atque doctrinae dedisset, civilis ac Pontificii juris doctissimus evasit. Nec multo post industriae suae praemia recepit. Episcopus primum Venetus creatur, in qua dignitate patriam Summo Pontifici conciliavit. Episcopus subinde Patarensis eligitur, quo tempore summum illius regionis imperium tenuit. Itaque Genuensi bello gravi et periculoso navem longam instrumentis omnibus bellicis ornatam per id omne tempus praesidium patriae subministravit. Viget illius viri hodie quoque apud Graecos illos magnum et memorabile nomen. At Franciscus frater, vir omni vita probatissimus, multos magistratus gessit, plures repudiavit, in quibus praeturam Patavinam minime contemnendam. Dux Cretae, Fori Iulii praefectus, triumvir etiam, quos nunc advocatos appellant, ex quibus omnibus amplissimam laudem et gloriam reportavit. Cujus filii duo fuere praestantissimi viri, quorum alter Polidorus ante annos Primicerii et Protonotarii Apostolici dignitate praeditus, magno deinde studio litteras et bonas artes secutus, juris civilis et Pontificii scientiam apprime tenuit. Episcopus deinde Bergomi factus, nec multo post tempore Romam profectus, mox apud Pontificem Nicolaum inter primos habitus; postremo Archiepiscopatu Iadertino dignatus est. Philippus vero, quem ante oculos habemus, tantum naturae bonis et industriae pollet, ut nihil

ille non sit assecutus, quod optimo civi convenire videatur. Adeo temperatum virtutibus animum gerit, quas omnes in uno simul intueri contemplarique licet, gravitatem, probitatem, continentiam, modestiam. Ita fit, ut omni amplissimo civitatis gradu dignissimus habeatur, suos inter aequales non minus auctoritate, quam gratia primus.

Sed ut jam redeamus ad Ioannis filios, unde digressi sumus; Nicolaus observandissimi hujus viri, de quo nunc agitur, avus, statim ut adolevit aetas, nihil de se non singulare pollicebatur atque praeclarum. Sed tamen ille virtute sua spem civium quantumlibet magnam facile superavit. Itaque per omnes ferme reipublicae cucurrit honores saepe triumvir, princeps senatus, legationis primus, Patavii praetor, Veronae praefectus, in quibus magistratibus eum se praebuit, ut ex his magnam innocentiae laudem cum summa dignitate consequeretur. Hinc jam majora sequuntur Foscarae gentis, immo vero patriae lumina, illustrissimus vir Franciscus et Donatus frater, et idem Marcus frater observandissimi hujus Protonotarii genitor, de quo postea suo loco dicemus. Nunc vero me movet illustrissimi ducis Francisci virtus inaudita quaedam ac pene divina, ut de eo nonnihil pro facultate dicam. Nam omnia pro dignitate quis possit qui ab ineunte aetate et ingenio talis et industria fuit, ut aequales suos quemadmodum indole vincebat, ita etiam virtute superaret; nam primis utique annis forma nituit egregia, cum summa modestiae fama, quibus nihil in puero decorum magis inveniri potest. Itaque ex flore ipso jam tum apparebat, quos fructus maturior aetas allatura esset, et venustate quidem vultus et oris tanta pollebat, quantum per se fert nunc etiam frontis veneranda majestas. Modestia vero quanta esset vel ex eo cognosci potest, quod cum animi et corporis dotibus caeteros anteiret, assecutus est tamen id, quod vix cuiquam credibile

fuerit, ut flagitii nota liber sine invidia laudis optione gloriam compararit. Erat enim omnium, quibuscum viveret, suavissimus, nec dici potest quam jucunda ejus consuetudo fuerit. Qui ubi ex ephebis excessit, tum vero prudentia major, fortitudo atque justitia sese ostendere caeperunt, quae in eo simul cum aetate omnia quotidie magis atque magis augebantur. Iamque ita pollebat et animi et corporis viribus, ut nemo eum ullo genere laudis aequiparare posset. Erat autem viro dignitas quaedam imperatoria, quam qui vidissent, admirabantur omnes. Nec fieri posse credebant, ut qui ad honores natus videretur, privatus aetatem ageret. Quin etiam profectum in Syriam, visendi cognoscendique studio, magus quidam, ut est gens illa vulgo perita vaticinii, formam habitumque viri praestantiorem contemplatus, magna continuo et alta sperare jussit. Nec monita vatum, nec opinionem hominum frustratus est. Nam ubi ad rempublicam accessit, statim futurae magnitudinis indicia dedit, cum in ea gerenda non solum aequales, verum etiam natu majores senatorios viros rerum gestarum gloria praeclaros, consilio atque animi magnitudine superavit. Hic illum praetereo senatus principem fuisse, vix dum adolescentiae annos egressum, omnes uno tenore patriae magistratus gessisse, tot praeturas, tot praefecturas, ducatum Cretensem, quae longiorem orationem singula deposcerent. Cum in omnibus ea integritate et innocentia fuerit, ut gloria semper, quam divitiis auctior evaserit. Quocirca triumviratum obtinuit adversantibus multis, qui, cognita viri constantia, famae ac fortunis multorum tristem illum et periculosum fore divinabant. Et profecto triumvir fuit acerrimus, qui nulla cujusquam gratia, nulla auctoritate, nulla potentia a fortissimi viri officio deterreri potuerit. Siquidem patricios complures legibus interrogavit, interrogatos pro concione damnavit. Itaque facile ostendit leges

civitatis, si sit qui eas defendere velit, magnum aequandae libertatis robur, magnumque praesidium esse. Ex eo tantum sibi auctoritatis comparavit, ut nemo esset, qui non ejus fidei dignitatem omnem reipublicae tuto demandari posse crederent. Igitur triumviratus finis gradus ad procuraturam fuit, quae dignitas solum his dari consuevit, quorum virtus probata satis et in gravissimis reipublicae casibus cognita fuerit. In eo magistratu collegis suis mirum est quantum se probaverit, senioribus quidem illis et praestantibus in republica viris, cum ad unum eum omnes potestatis illius atque adeo reipublicae administrandae primas partes ultro deferrent. Nec ita multo post magno patrum studio, ut qui jam virtutum omnium documenta dedisset, dux patriae declaratus est.

Operae pretium esset, patres optimi, disserere postquam summus ille vir gubernacula civitatis regere caepit qua prudentia, quo consilio, quibus vigiliis, quibus laboribus rempublicam ex bona meliorem facere studuerit, ni ea res me longe ab incaepto deterreret. Nihil enim in eo viro desideratur, quod ad optimi principis obeunda munia pertineat. Multum ille ingenio non minus eloquentia, sed plurimum sapientia valet. Memoria vero tanta est, ut quidquid ille semel vel vidit vel audivit oblivisci nunquam possit. Quod de Lucullo nostri, de Themistocle Athenienses perhibent, qui cum audisset Athenis quemdam esse, qui reminiscendi artem profiteretur: mallem, inquit, obliviscendi; nam firmitudine corporis juvenem praestitisse quis dubitet? cum aetate jam exacta, juniorum vires haud magnopere desiderent, inter munera quibus adeo majora exoptari non possunt; illud enim et celsioris cujusdam animi specimen, quod nihil prae republica magnum esse ducit. Tantumque abest ut ambitiosus videri possit ut ducatum ipsum multoties deponere voluerit. Nam qui ad summum dignitatis gradum

virtutibus nititur, non potest honorem aliis artibus gerere, quam quibus adeptus fuerit. Hoc igitur duce respublica tametsi variis casibus agitata fuerit, nil tamen usquam detrimenti cepit. Hoc principe duabus opulentissimis civitatibus auctum est imperium, Brixia pariter et Bergomo; nec longo deinde intervallo Crema oppidum et omnis ager, quidquid Adduae flumine clauditur, ditionis Venetae factum est. Hoc moderatore Ravenna urbs omnium, quas scimus, Italiae vetustissima, in deditionem accepta est. Hujus denique auspiciis respublica domi bellique pulcherrime gesta est; quo fit, ut non modo senatus Optimatesque Veneti, verum etiam omnes imperii civitates hunc virum (si fieri possit) immortalem esse cupiant. Et ab hoc quidem vix mihi per tantas viri virtutes recedere licet.

Sed ad Donatum fratrem transire libet, alterum patriae decus, et unicum fidei et totius sanctimoniae sacrarium. Hic vir cum in ipso reipublicae gerendae principio expectationem de se novam quamdam et incredibilem concitasset, eo deinde consilio, eo studio et vigilantia fuit, ut quae de illo civitas speraverat, prae his quae ipse continuo praestitit, parva esse viderentur. Iamque omnes dignitatem viri admirabantur, omnes in illum oculos conjiciebant, causis ferme difficilioribus publicis atque privatis nunc in foro, nunc in senatu praeferebatur. Sensit vir acrioris cujusdam ingenii haudquaquam in eo consistere spem beatae vitae, quam appetebat ut civilibus negotiis implicaretur, unde sibi vel invito quasi laborum praemia honores occurrerent. Itaque aliam tutioris viae rationem mire constituit. Ex eo forum illi et curia displicuere: utrinque certe aberat, quantum sibi per miserorum causas et reipublicae munia licebat, nec se ideo ab ea administratione disjungebat, ut in otio aetatem ageret, sed ut propulsis caeterarum rerum curis, toto pectore justitiam et pietatem coleret. Hunc ex numero ae-

mulantium doctrinam fratris Thomasii fuisse constat, viri omnis divini humanique juris peritissimi. Quanta igitur sanctitatis opinione mortales imbuerit, id uno exemplo satis est docuisse. Ferunt enim in jus aliquando vocatum, ut testimonio suo litem dirimeret, cum judices, vetere instituto legum, jurare vellent, litigantes vetuisse, quod ei viro dicerent vel injurato credendum esse. Id quidem cum per se magnopere praedicandum est, tum vero ita vivitur ut etiam multo magis admirandum sit. Quotus enim quisque est cui tuto in hac perfidia temporis credere possis? Ille vero pietatis suae vicit argumentum, qui moriens bona sua et fortunas suas testamento erogari jussit. Sub hoc tam insigni viro et institutis ejus Marcus frater vitam exercuit observandissimi Protonotarii nostri genitor, vir tum sua ipsius virtute felix, tum vero tanti filii probitate felicior, qui jam tum adolescens continuo apud omnes tanta non solum laude, sed etiam admiratione dignus habebatur, ut his etiam honore praestaret, qui per omne suae vitae tempus nihil aliud egerant, quam ut honoratissimi videri possent. Quippe quem ab ipsa prope pueritia magnam virtutis rationem habuisse constat; nondum satis civilia tractare coeperat, cum jam ille gratia inter omnes et auctoritate eminebat; eo evenit ut reipublicae majoribus, quam pro aetate, fungeretur honoribus; vix duo de triginta natus annos in senatum eligitur. Sub hoc tempus belli praefectus princepsque senatus fuit. Nam Patavii praefecturam in ipsa juventute suscepit, Brixiae praefecturam aetate paullo maturiore, sed procuraturam ante legitimum tempus adiit, quem magistratum scimus omnes supremam esse quasi lineam virtutis, quam qui assecutus fuerit, omnem totius recti et honesti rationem absolvisse censetur. Et in eo quidem munere obeundo ita se gerit, ut pietati et religioni nihilominus praestet quae vel sua, vel magistratus, vel

utriusque dignitas postulare videatur. Cui rei testimonium dat, quod a religiosis omnibus colitur et observatur; quem illi vulgo patrem unicum appellant. Nec mirum, qui suas omnes vivendi rationes in summi boni studio fixerit atque locarit. Hinc illa incredibilis patientia viri et invictus humanis casibus animus, cujus antea saepe documenta dedit; sed tunc potissimum gerebat nescio quid, procuratorio certe negotio, id quod satis constat, intentus, cum subito nuncius affertur filium ejus egregiae indolis peregre mortuum esse. Ipse vero quasi novi nihil nunciatum esset, id quod instituerat, sedato etiam non solum forti animo peregit. Laudet nunc Horatium Pulvilum historia, et factum ejus tollat in coelum, quod inter templi dedicationem, tali et ipse nuntio nihil a proposito aversus fuerit. Sed videte, quaeso, patres optimi, quid inter utrumque virum intersit. Ille templum dedicabat, quod nefas erat intermittere; hic procuratorium negotium tractabat, quod cum officio differre, vel, si id mallet, collegis demandare poterat; ille ab inimicis audivit cupide nuntiantibus, ut falsum credere potuerit; hic a familiaribus moestis et collacrymantibus, ut verum dubitare nequiverit. Quid alios commemorem liberos ejus amissos? Quid sanctissimam uxorem, quam unice diligebat, ereptam? ut fortiter, ut moderate tulit! Cum tamen natura sit mitior et indulgentior in suos, ut in eorum desiderio seipsum vicisse videatur. Et hunc quidem virum relinquere nescit oratio.

Sed ad filium ejus venire gestit observandissimum virum Protonotarium, qui tali tantaque patria dignus, cum ab illustribus viris majoribus suis nequaquam degenerat. Parentem prae celeris imitatus est; veteris innocentiae solidum exemplar, cui nihil a natura denegatum, in quem omnia a virtute profecta sunt. In hoc igitur patre filius, qualis esse deberet, tanquam in speculo quodam praecla-

rissimo contemplatus est, ut ejus non modo facta aemularetur, sed etiam singula verba, modo posset, ab ore loquentis exciperet; et recte quidem. Quem enim sibi potius eligeret, quam parentem, in cujus quasi unici exempli mores formarentur? Cum in eo ampla sibi justitiae et integritatis documenta esse perspiceret. Quare effectum est, ut in hoc viro Protonotario nostro nihil omnino sit, quod non bonis omnibus mirifice probetur; sive quid joco dicit urbanissimus, sed quid serio gravissimus haberetur. Si de absentibus sermo inciderit bonos quidem praedicat in primis, alios vero nimis nec insectatur, nec excusat, quod alterum malevolentiae signum sit, alterum conscientiae. Si quis contra honesti cujuspiam hominis, ut ferme fit, dignitatem loquitur, ubi nihil resistendo proficit, audiendo non vacat; cum nefas esse ducat, cui mentem neget, eidem aures accomodare. Itaque nullus de ipso, ipse de nullo male audivit unquam. Quo fit ut cum propter vitae institutionem ingeniique sui dexteritatem laudetur, et ametur ab omnibus, felices videantur hi, quibuscum ille quam diutissime vivit, nec quisquam est qui non tali viro honores omnes dignitatesque divinet. Iam Primicerii, jam Protonotarii, jam Sacerdotiorum complurium dignitatem consecutus est. At Primicerius quidem pene puer factus, cum tamen gradus ille semper ab Episcopatu secundus extiterit, ut intelligi possit tenera jam aetate quantam indolem maturae probitatis ostenderit. Nam et summus Pontifex hac eadem forma et opinione virtutis adductus ultro illum Protonotariatus honore fungi voluit, sed caeteris ornamentis suis, quae ampliora sunt multo quam ego oratione complecti potuerim, egregiam litterarum doctrinam adhibuit, cui jam ab initio pueritiae deditus tantum profecit, ut non modo litteratissimus, quod ipsum quoque praeclarum est, verum etiam Pontificii juris consultissimus fieret, quo nihil honestius esse potest.

Hinc sanctitas discitur, in qua colendi Dei scientia continetur, hinc pietas cognoscitur, ex qua justitia erga Deum qualis esse debeat perfecte edocemur, hinc omnis religio percipitur, ut Deum semper pura ac integra et incorrupta mente et voce veneremur. Talem enim Dei cultum legimus esse debere optimum eumdemque castissimum, sanctissimum pietatis.

Sed me sentio longius progredi quam necesse sit qui dudum dicendi studio captus, circa singula vector. Quare jam finem faciam. Cum igitur hujus origo viri tot tantisque patriae, gentis, familiae, nec minus genitoris illustrata monumentis, vitam ejus exemplis ditiorem fecerit patriis atque domesticis, ipse vero nulli majorum suorum dissimilis, parentem in primis optimum ac integerrimum virum per omnes virtutis numeros expresserit, bona quae natura sibi et fortuna data erant, studio et industria sua multo latiore multoque uberiore praestiterit: his de causis atque rationibus merito cujuslibet honoris et dignitatis insignibus exornari debet; sed Pontificii juris potissimum, in cujus studio primis ab annis ita versatus est ut excellat.

IN FUNERE

PRÆSTANTISSIMI VIRI

VICTORINI FELTRENSIS

EJUSDEM PRÆCEPTORIS.

Prima Feltrensem studiosa pubes,
Strenui namque gregis ille pastor,
Ille patronus fuit, ille præses,
Ploret alumnum.

Ploret antistem chorus ipse Phœbi,
Nempe lethæas timuere ripas
Dicta musarum, monitoris icta
Funere tanti.

Ploret antiquæ dominator urbis
Clarus et proles generosa fratrum:
Mantuæ patrem rapuere dura
Fata secundum.

Tuqne lugubris miserande princeps
Iam die pompæ sine fine plora,
Quem Leonicum cereale gignit
Patre bis orbum.

Clara quid refert celebrasse Clio
Facta virtutis et in ære danda
Posteris ævum memorasse quondam
Arma virosque?

Quid maris vasti numeras arenas
Dulcis Euterpe? quid et alta cœli
Templa demersum radioque terras
Nosse Talia?

Diva quid certos juvat Urania
Syderum cursus, variosque solis
Scire defectus, subitosque lunæ
Scire labores?

Magnus interpres cadit ecce musæ
Vester et toto celebratus orbe
Quidquid humanas ubicumque gentis
Extulit artes:

Sive Romani Latium per ingens
Sive quid Graji valuere docti
Magnus interpres columen decusque
Ingeniorum.

CHARIS.

Olim cum teneras solarer carmine curas,
Spectabam tacitus Te mea sæpe Charis.
Mecum sæpe animo volvebam linquere amantem,
Sic o sic poteras commiserandus amans.
Scilicet ore tuo manans oratio visa est
Dulcior et melle, lacteque candidior.
Frons mitis, Deus ipse oculis afflarat honores,
Plena venustatis tum Charis omnis eras:
Flava comas, speciosa genas, et suave micantes
Spirabant oculi nescio quid melius.
Hinc lacrymæ, et molles subter præcordia flammæ,
Curaque jam gravior pectora nostra subit.
Hic meminisse vacat, quænam concordia nostri
Atque in dulce Charis quid fuit omne tuum.
Dissidium crudele subit, quam longa viarum
Sint spatia, et vitæ jam breviora meæ.
Pallidus heu firmo trepidis vestigia plantis
Et spargo lacrymis lumina fixa solo.
Nonnunquam majora mihi discrimina surgunt
Et torpent animi consilia ambigui.
Spiritus humano cedat si corpore, membra
Ne superesse queant sic procul atque anima.
Hæc mecum fesso lenis surrepere somnus
Cœperat, et tenuit languida membra sopor.
Tum mihi visa Parens stellantis gloria cœli,

Quam simul ambibant sidera mille deam.
Illa, ubi conspexit variis me questibus ægrum,
Astitit, et placido sic ait ore prior:
Quis te, chare puer, sancto perfusus amore,
Quis frustra exagitat solicitatque timor?
Sicne pias nil posse preces ad numina nostra?
Defendo miseros supplicis ipsa vice.
Dic agedum, quotiens aliquid tentare precando
Ausus, et hinc surda lusus ab aure redis?
Non neque me tantum tenuere oblivia vestri
Ne, præsens aliis, vos ita destituam.
Non Vicentinis, non sic incognita vestris
Montibus insedi, ne recolant homines.
Nam quid Summani percurram, quid Beregæi
Montis vota mei, cum pia thura calent?
Signa tholis suspensa manent, hinc cerea pendent
Brachia, transfixi vel caput hinc equitis.
Ferrea vincla rigent alibi, discussaque vinctis
Lamina, testantur supplicibus veniam.
Sed quid ego hæc refero? vidistis ut ære nitescant
Hinc manus, hinc oculi, multaque pars hominis.
Hæc templis affixa meis mea numina monstrant
Multorum exitiis imposuisse modum.
Quiquam o si maneant juvenili in pectore sensus
Et ratio, tanti causa timoris abest.
Longa per immensum migratio territat orbem
Pars quota terrarum siccine longa tibi?
Nil latro facit infestum, nusquam mare sævum
Intercludit iter, omnia tuta patent.
Semper eunt redeuntque viam celeberrima turba
Spectatur comitum concilium petere.
Omnis abesto metus, quid tu mirere magisque
Et magis, hoc moneo, condito mente tua.

Hæc loca qui repetunt, iidem rediere profecto,
    Quos Basilea capit, hos quoque restituit.
Sic ait: et tantis jamdudum pectora visis
    Obstupuere: metus nec tamen ille fuit.
Vix dum finierat, venerantem et multa parantem
    Dicere deseruit: ast ego voce sequor.
Stelliferi Regina poli, quam sponte secuta
    Hinc atque hinc glomerant sidera mille deam:
Quid tantum merui, o nostros miserata labores,
    Diva parens hominum, diva Dei Genitrix?
Non potui merito dignus tibi tanta mereri
    Virgo tua facie, dignus et eloquio.
Tu dea, tu miseros solare piissima, viles
    Provehis, et magno protegis alma sinu.
Tu magnæ pietatis honos, tu mitis amoris,
    Odisti fastus, alta potens humilis.
En tua jussa sequor, ducentem nil moror ultra;
    Iam misereri mei, jam misereri mei.
Hic animum, gemitus, lacrymas, suspiria solvo
    Diva tibi, solam te colo, te veneror.
Quare age tranquillo tandem subducere portu
    Da mater, nostras ire, beata, domos.

(*) Omnibonus De-Bonisolis Leonici, unde Leonicenus, celeberrimo agri Vicentini oppido, ineunte sæculo decimoquinto ortus est, Ioannis Ravennatensis, Victorini Feltrensis et Emanuelis Chrysoloræ discipulus fuit. Ipse postea ita latinas, græcasque litteras Tarvisii primum, Vicetiæ deinde, ut omnibus admirationi esset, publice docuit. Plurima ingenii sui monumenta, tum soluta, tum numeris adstricta oratione, reliquit; quorum alia, ipso vivo, in lucem prodiere, alia adhuc in manuscriptis jacent. Integerrimis vitæ moribus Vir; doctrina et eruditione præclara sic pollens, ut cum Venetiis apud Bessarionem Cardinalem græce orationem habuisset, hic: *eum eloquentiæ palmam, quam sola Græcia possidebat, ita ad Latinos transtulisse, ut nihil aut parum egregiæ laudis apud Græcos relictum esse*, dicere non dubitaverit. Anno MCDXCIII. Vicetiæ, summo omnium mœrore, obiit.